



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Quaest. 6. Vtrùm aeternitas ita sit propria Dei, vt nulli omnino creature
co[m]municari possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

per aternitatem intrinsecam Dei prout talem. Atque adeo duratio intrinseca Dei prout talis respectu nullius durationis creaturarum est proprie mensura prout talis. Dico autem prout talis; quia, ut est quadam indivisibilis vnitas, cuiusuis numeri indivisibilium poterit proprie mensura esse. Quod non interest ad rem.

160 Secunda autem pars propositionis probatur. Quia, dum aternitas intrinseca Dei per sui totius replicationem coexistit omnibus, & singulis partibus cuiusuis durationis create iuxta superius dicta, aequalis a tali coexistentia per eiusmodi sui replicationem sortitur temporalem extensionem, siue quantitatem cum illa. Quo iure & ipsi applicari ut mensura, & ipsam metiri dici potest; improprie tamen; quia id non praestat (prout ad mensuram propriam requiritur iuxta dicta) per quantitatem duratiuam distinctam a quantitate illius; cum ab eadem illius quantitate sic quanta euadat semiextrinseca. Et quando duratio creata finita est, aliunde est improprie mensura aternitas Dei intrinseca respectu eius iuxta dicta num. 149. quia veluti per partem suae quantitatis virtualis, non verò per totam est illius eo modo mensuratiua.

Propositio 4.

161 Aternitas semiextrinseca Dei non est proprie mensura respectu durationis create, quando hæc est aut ab utroque, aut ab altero latere finita. Esset verò proprie mensura durationis create ab utroque latere infinita, si talis daretur. Cum tamen improprio quodam modo, quantumuis finita sit duratio creata, mensura eius dici possit.

Prima pars propositionis inde constat. Quia, cum aternitas semiextrinseca Dei sit vtrinque infinita secundum quantitatem formalem duratiuam, quam habet, ex suo conceptu tum entitatem Dei, tum tempus vtrinque infinitum claudente, iuxta superius dicta; durationis create aut ab altero, aut ab utroque latere finita mensura proprie dicta esse non potest. Quandoquidem quantum infinitum integrè sumptum respectu quantumis modo finiti minus mensura proprie dicta obire non potest, ut supra num. 147. statutum est.

162 Secunda autem pars propositionis probatur. Quia, ut ibidem etiam statuimus, vnum quantum infinitum mensura est proprie alterius quanti infiniti, quando ambo inter se aequalia, & eiusdem generis sunt. Constat autem ex dictis hæc aternitatem semiextrinsecam Dei, & durationem creatam vtrinque infinitam duo quanta & inter se aequalia, & eiusdem generis esse quoad quantitatem temporalem, seu duratiuam.

163 Tertia denique pars propositionis inde probanda venit. Quia respectu cuiusuis durationis create quouis modo finita pars ipsi aequalis, aut minor aternitatis semiextrinsecæ Dei mensura proprie potest esse; cum tamen non possit tota ipsa aternitas integrè sumpta, ut satis ex dictis notum est. Constat autem quoduis totum improprie appellari mensuram respectu rei, cuius pars aliqua ipsius totius proprie mensura est, iuxta dicta num. 149.

Et hæc satis, superque dicta sint pro contraria fere de nomine, seu de modo loquendi. Quæcunque autem contra illa possint opponi, ex dictis in tota hac quaest. facile quicquid diluet.

QVÆSTIO VI.

Virum aternitas ita sit propria Dei, ut nulli omnino creature communicari possit.

164 **S**uppono primò ut apud omnes certum, casu quòd daretur motus vtrinque infinitus, siue carens principio, & fine, atque adeo toti temporali (quod dicitur imaginarium) pariter vtrinque infinito correspondens, siue illud replens per suarum partium temporalem distributionem, & si ille dici posset aternus a parte ante, & a parte post, quatenus principio, & fine careret; sed non eo genere aternitatis, de qua modo agimus; eius nimirum, a qua res qualibet per illam aternam haberet, sicuti Deus de facto habet, ab aeterno, & in aeternum, & semper existere per sui totius temporalem replicationem, siue repetitionem in omnibus, & singulis partibus prædicti temporis imaginarij infiniti. Quomodo autem motus ille vtrinque infinitus, etsi de facto non detur, possibilis sit, ex dicendis infra disput. 13. quaest. 6. constabit.

Suppono secundò etiam ut certum apud omnes, aternitatem omni temporali correspondentem per sui totius temporalem replicationem eà ratione, qua conuenit Deo per essentiam, & prorsus necessariò, nullatenus vili creature communicari posse. Atque ita propriam Dei esse. Quia non potest quidpiam conuenire creature hoc ipso, quòd creatura est, aliter, quam per participationem, & contingenter, vtpote quæ vel suum ipsum esse existentie aliunde, quam a Creatore, & aliter, quam contingenter, habere non potest, vt est notissimum.

165 Suppono tertio ut probabilis, impossibile esse creaturam, quæ essentialiter petat esse replicatam temporaliter in partibus temporis infinitis aut a parte ante, aut a parte post, aut vtrinque; sicque aut a parte ante, aut a parte post, aut ab utraque parte esse aternam ex hypothesi, quòd existat ita, quòd Deus nullà potentia possit illi pro tempore minori existentiam dare casu, quòd illam velit producere. Quia, ut supra disput. 8. quaest. 3. vniuersè statuimus, non est possibilis creatura, quæ vel per paucas partes temporis diuisibilis petat essentialiter durare, ita, ut a Deo non possit poni existens, & durans in paucioribus. Igitur multò minus erit possibilis creatura petens essentialiter durare aut in partibus temporis infinitis a parte ante, atque adeo ab aeterno; aut in partibus temporis infinitis a parte post, atque adeo in aeternum; aut in omnibus partibus temporis vtrinque infiniti, atque adeo per integram aternitatem.

166 Suppono quarto ut certum secundum fidem, multas creaturas de facto ex decreto Dei fore extituras in aeternum, atque adeo aternas fore a parte post per sui totius replicationem temporalem in omnibus partibus temporis a parte post infiniti. Tales sunt animi rationales, & Angeli, vt

vt ostenditur à Theologis in tract. de Angelis. Quos esse incorruptibiles naturaliter, tamen si supernaturaliter possint corrumpi à Deo, eisque proinde naturaliter esse debitam durationem æternam, siue infinitam à parte post ex suppositione existentie semel à Deo acceptæ, communis Theologorum sententia est. De quo in eo tract.

169 Suppono quintò etiam vt certum secundum fidem, nullam creaturam de facto extitisse ab æterno. Quia de fide est, omnes, quæ existunt, & extiterunt, in tempore fuisse factas à Deo, prout vidimus supra quæst. 2.

170 Suppono sextò vt probabilis, probandumque oportunius inferius disput. 13. quæst. 6. de potentia Dei absoluta bene potuisse fieri, vt aliqua creatura & ab æterno extitisset, & in æternum extitura esset: atque adeò, vt supernaturaliter saltem vtrinque esset æterna, hoc est durationem principio, & sine carentem habens.

171 Quibus suppositis, dumtaxat superest examinandum, an sit possibilis creatura, cui naturaliter sit debitum non solum in æternum, sed etiam ab æterno durare: ita, vt repugnet connaturaliter, eam produci à Deo aliter, quàm ab æterno, & in æternum duraturam.

172 Affirmatiuam partem tenet Henao lib. 3. Emyreologiae exercit. 12. sect. 7. Pro negatiua tamen parte stant Recupit. lib. 4. de Deo quæst. 19. Franc. Amic. 1. par. disput. 7. sect. 3. Martinon 1. par. disput. 36. sect. 5. Arriag. tom. 2. in 1. par. disput. 28. sect. 2. subsect. 2. Ylambert. 1. par. quæst. 10. disput. vnic. artic. 7. Quiros tom. 1. in 1. par. ad quæst. 10. artic. 3. dub. 1. Franc. Alfon. disput. 28. Phyl. sect. 1. & alij.

Propositio I.

Impossibilis est creatura, cui sit ratione sui debitum naturaliter, ab æterno durare.

173 Vt efficaciter, & solide propositionem probem, suppono primò ex dicendis latius suo loco, debitum naturale, & ius illi respondens in existentia rerum fundari; quemadmodum debitum essentialiter, & ius illi respondens fundatur in rerum essentia. Vnde, licet passiones metaphysicæ, seu essentialiter rerum essentia earum conueniant, prout sunt in statu quiditatiuo cum præcisione ab existentia, vt sicque illis essentialiter debita sint; passiones tamen physicæ, seu naturales non aliter, quàm prout existentibus, conueniunt, & debita sunt naturaliter rebus. Quo fit, vt existentia non solum non possit esse passio metaphysicæ, seu essentialiter annexa alicui essentia creaturæ, vti est essentia diuinæ; eo quòd omnis creatura essentialiter est contingens, atque adeò potens non existere; sed neque possit esse passio physicæ, seu connaturaliter annexa alicui essentia creaturæ; eo quòd ad omnem eiusmodi passionem necessariò in quauis creaturà debet existentia supponi. Quo rursus fit, vt existentia cuius creaturæ non solum essentialiter, sed etiam connaturaliter contingens sit; atque adeò nec essentialiter, nec naturaliter sit debita eius essentia. Id quod planè supponunt Patres, atque Theologi, dum dicunt, Deum prorsus gratiosè, & liberaliter donasse existentiam creaturis, ijs scilicet, quas independenter ab omni connaturali iure aliarum

præexistentium produxit. Possè quippe existentiam vnus creaturæ alteri præexistenti debitam esse: atque adeò illam ex suppositione existentie huius non liberaliter, & merè gratiosè, sed in solutionem talis debiti produci à Deo, indubitabile est. Cùm tamen non minùs videatur indubitabile, ante existentiam omnis creaturæ necunde esse Deum necessitatum naturaliter ad producendum aliquam. Quidquid contradicat Henao vbi supra. Quis enim credat, Deum necessitatum esse naturaliter ad producendum aliquas creaturas præ alijs ante omnem existentiam creaturæ, & ante omne decretum suum, vt videretur Henao sentire? Aut quis non videat, eiusmodi necessitatem vt minimùm præferre manifestam imperfectionem alienam à Deo?

174 Suppono secundò ex dicendis supra disput. 8. quæst. 6. existentia cuiusvis creaturæ essentialiter esse annexam, proindeque & essentialiter debitam durationem in aliquo tempore vagè; eo quòd nulla creatura potest existere extra omne tempus. Cui essentiali debito bisariam Creator creaturam aliquam producturus satisfacere potest. Primò producendo illam ab æterno, atque adeò dando illi durationem aliquam infinitam à parte ante, alicui tempori à parte ante infinito, siue carente principio correspondentem; (posito ex num. 170. quòd talis duratio sit possibilis), Secundò producendo illam in tempore, atque adeò dando illi durationem, quæ in tempore aliquo incipiat, eamque vel immediatè post abrumpendam, vel per tempus aliquod seu finitum, seu etiam infinitum, subindeque à parte post æternum continuandam. Vtrouis tamen in casu duratio satisfaciens prædicto debito de facto determinata, temporique determinato correspondens debeat necessariò esse reipsa; quia à parte rei non potest dari quidpiam vagum, vt apud omnes est in confesso, & nos ostendimus in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. Et quoniam debita merè naturalia supponunt completa essentialia; eo quòd prout iacet reipsa creatura, non verò aliter, ipsi conueniunt; & creatura non est, nec esse potest reipsa sine ijs, quæ sibi essentialiter debita sunt. Consequitur, omne excogitabile, debitum merè naturale creaturæ necessariò supponere existentiam actualem eius, non vtrunque, sed prout durantem in aliquo tempore determinato reipsa; eoque vel infinito à parte ante, seu carente principio, vel infinito, seu incipiente ab aliquo instanti. Vnde nisi creaturæ prout aliquo ex his modis duranti in tempore potuerit conuenire ratione sui debitum, siue ius merè naturale durandi ab æterno, tale debitum, siue ius simpliciter erit ei impossibile. Tamen si sit illi possibile debitum, siue ius naturale durandi in æternum; vt ex dicendis apparebit.

175 Ex his probò propositionem, scilicet, impossibile esse creaturam, cui sit ratione sui debitum naturaliter, ab æterno durare. Quia non potest id esse debitum alicui creaturæ ratione sui consideratæ præcisè secundum essentialiam; eo quòd rerum essentialium sumptis præcisè, independenterque ab existentia nihil est debitum naturaliter iuxta doctrinam statutam suppositione primà. Nec potest id esse debitum alicui creaturæ ratione sui prout existentis præcisè, atque adeò antecedenter, independenterque ab omni sui duratione in tempore; eo quòd aliqua duratio in tempore est illi essentialis, & ante impleta essentialia debita, siue iura non confurgunt in creaturis naturalia.

ralia iuxta dicta suppositione secundâ, Sed neque potest id esse debitum, alicui creaturæ ratione sui prout duranti in aliquo tempore. Ergo nullatenus potest id esse debitum alicui creaturæ ratione sui. Consequentia est bona: quia aliter, quam ratione essentia præcisè, vel existentia præcisè, vel existentia prout duranti in aliquo tempore deberi quidpiam creaturæ ratione sui, excogitabile non est, vt patet. Duæ autem priores partes antecedentis ex duabus suppositionibus factis constant. Probo ergo tertiam posteriorem; nempe, non posse esse naturaliter debitum alicui creaturæ prout duranti in aliquo tempore, durare ab æterno. Nam vel tempus, in quo durat creatura, nullum habuit principium; & sic, quam euidens est, durare ab æterno, non posse esse naturaliter debitum creaturæ prout duranti ab æterno: tam euidens est, durare ab æterno, non posse esse naturaliter debitum creaturæ prout duranti in tali tempore: cum durare in tempore nullum habente principium, & durare ab æterno, manifestè sit prorsus idem. Vel tempus, in quo durat creatura, incipit ab aliquo instanti: & sic non minus manifestum est, creaturæ prout in eo instanti, aut in quibusvis sequentibus duranti non posse esse naturaliter debitum, durasse ab æterno: quia illi prout sic est id impossibile: (quandoquidem ad præteritum non datur potentia iuxta vulgatum, certumque effatum, de quo nos in Pharo Scient. disput. 8. quest. 4. proposit. 7.): repugnatque planè, esse alicui subiecto debitum, quod ipsi impossibile est. Ex quibus omnibus concluditur, nulli creaturæ ratione sui posse esse debitum naturaliter, durare ab æterno. Atque ita impossibile esse creaturam, cui sit ratione sui debitum naturaliter, ab æterno durare, vt nostra propositio fert.

176 Quam quidem varijs alijs argumentis conantur probare Recupitus, & alij vbi supra; sed quæ minus efficacia mihi videntur; ob idque illa prætermitto. Sicut &, quæ contrarij possunt opponi, vt pote quæ ex doctrinâ traditâ faciliè à quouis diluentur.

177 Verum enim verò, licet creaturæ prout duranti in quouis tempore nequeat esse naturaliter debitum, durare ab æterno: quia ei prout duranti in tempore carente principio est id simpliciter necessarium, & ei prout duranti in tempore habente principium est id simpliciter impossibile; prout constat ex dictis; repugnatque manifestè, esse alicui merè naturaliter debitum id, quod eidem aut simpliciter necessarium, aut simpliciter impossibile est. At creaturæ prout duranti in quouis tempore bene potest esse naturaliter debitum, durare in æternum; (vti de facto Angelis, & alijs creaturis naturaliter incorruptibilibus debitum est): eo quod creaturæ prout duranti in quouis tempore, durare in æternum, neque est simpliciter necessarium: quia potest Deus in quouis alio futuro tempore illam destruere: neque est simpliciter impossibile; quia potest Deus durationem eius in infinitum prorogare.

Propositio 2.

178 Possibilis est creatura, cuius duratio à parte ante æterna connaturaliter possit debita esse ex suppositione alterius creaturæ potentis existere ab æterno.

Est certum. Quia, si Deus produxisset ab

æterno ignem, ex suppositione durationis eius æternæ à parte ante connaturaliter esset debita, duratio æterna à parte ante coloris comitantis semper substantiam ignis naturali necessitate. Similiter, si Deus produxisset ab æterno aquam, ex eius suppositione frigus aquæ connaturale connaturaliter deberet produci etiam ab æterno. Pariterque in similibus. Etenim eo ipso, quod ignis esset existens in omnibus instantibus tam collectiue, quam distributiue sumptis totius præteritæ æternitatis, atque adeo in totâ ipsâ æternitate, proindeque ab æterno; naturaliter esset debitum, quod calor ipsi connaturalis existeret quomodo in omnibus instantibus tam collectiue, quam distributiue sumptis totius præteritæ æternitatis, atque adeo in totâ ipsâ æternitate, proindeque ab æterno. Et idem est de frigore respectu aquæ, de cæterisque huiusmodi, vt est notissimum.

Ex quibus omnibus concluditur, non solum esse proprium Dei, & nulli creaturæ communicabile, habere æternitatem à se, & per essentiam, vt & alia attributa habet; non verò per participationem: sed etiam habere æternitatem sibi cum essentialiter, tum etiam naturaliter debitam ratione sui, qualem nulla creatura potest habere. Quamquam enim possibile sit, creaturam habere æternitatem, siue durationem virtutem infinitam, carentem ve principio, & fine: nulli tamen creaturæ ratione sui potest talis æternitas debita esse aut essentialiter, aut naturaliter, vt Deo debita est; prout constat ex dictis.

QUESTIO VII.

Verum Deus titulo suæ æternitatis, aut alio simultaneam, intimamque coexistentiam haberet cum creaturis; tamen si illa ita extra omne tempus existerent, vt in nullo spatio temporali durantes essent.

Suppono cum communi ex dictis disput. 8. 180. quest. 6. omnino impossibile esse, quod creaturæ aliqua ita extra omne tempus existant, vt in nullo spatio temporali durantes sint. Ex hypothesi tamen, quod aliqua creaturæ existerent extra omne tempus, quærimus, an Deus nihilominus simultaneam coexistentiam cum illis haberet vel titulo suæ æternitatis, vel alio titulo.

Propositio vnica.

Ex hypothesi, quod creaturæ aliqua ita extra omne tempus existerent, vt in nullo spatio temporali durantes essent, arbitror fore, vt Deus simul haberet, & non haberet simultaneam, intimamque coexistentiam cum illis.

Haberet quidem. Quia Deus ratione suæ æternitatis, rationeque intimæ dependentiæ, quam creaturæ suapte essentia habent ab ipso, non